

2081

## LITURGICI.

2082

bentur Clerici orare *signanter pro Illustrissimo Duce N. Austriae*, et fol. 125. ubi praescribitur Cantus chori in circumgestatione Reliquiarum, addit Rubrica: *Populus uero sequens habeat suas leysfas. Ritualia Passaviensia hoc Vol. relata dixerunt suas Alleluias, vel Vociferationes; at vero τὸ Leissas a corrupto kyrie eleison descendere videtur.*

## DCCCXLVI.

H. 2 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. nunc 78. f. luculente, eleganterque perscriptus, deauratus, et picturatus exhibet Opus liturgicum ita praenotatum: *Ut ea que ob varietatem inquirendi in sacris missis celebrantium animum sepe perturbant, facilius in posterum inueniri possint, attentiusque in tam sacro misterio et deuotius ut decet vacetur, Gasparis de Capris Episcopi Asten. industria aliquarum pontificalium missarum cum suis solitis ceremonijs prout sequitur ordo ad sui et successorum maxime commodum inuentus est. Praeit folium Insignia Julii III. (Joh. M. de Monte) P. M. repraesentans cum lemmate: *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare, et ὑπογεαφῆ: Aureus hic mons aereus est felicitis memorie Julio III. Pont. max. argopastori vigilantissimo dicatus cuius gratia Gaspar de Capris Presul Asten. designatus. Accepti memor benefitii monere censuit in hoc pontificalium missarum ordine pro sa-**

*lute et requie sue sanctitatis orandum esse. Nam etsi beatus in vita, quia mortalis, obiit die 23. Martij. M. D. L. V. Designatus est Gaspar de Capris seu Caprius Taurinensis ad infulas Astae, quae in Liguria mediterranea Sabaudici juris est, a. 1550. et a. 1568. infelici prolapsu scalis illisus periit. Plura de eo Ughellius Ital. sacr. T. IV. p. 399. qui si Codicem nostrum vidisset, reperisset fol. 4. gentilitium Viri Insigne: nigram capri προγομην in area aurea cum lemmate: *Omne bonum ex alto*, quo fortasse ad Julii III. Montes adluditur. Inest porro in eo Series Missarum Pontificalium pro praecipuis anni Festis ducto a B. V. Annuntiatione initio, atque inter eas etiam Missa in die S. Secundi martiris Astensis, et S. Eusebii nempe Vercellensis. Picturae, quae singularum frontem ornant, non in ipsa membrana effictae, sed glutino ei superinductae sunt. Inter 58. et 60. folium excidit.*

## DCCCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3300 XIII. Folior. 78. 4. maj. splendide exaratus, miniatus, Literis initiorum partim auro fulgidis, partim jucunde picturatis Ceremoniale Abbatis est complexum Evangeliorum principia, Antiphonarium, Hymnarium, Praefationes, Canonem Missae, atque Orationarium pro toto anni decursu. Antiphonario imposita sunt antiqua modulandi cantus signa ante *Guidonem*